

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 49

Notum sit omnibus quod filii Ingelbaldi vicarii de Vindocino, Odo, Rainaldus, Fulcodius et Adelaidis soror eorum, calumniati sunt nobis diu terras et vineas et domos apud Semitarium ex parte patris sui, ipsam quoque ecclesiam eius loci. De qua calumnia venimus tandem ad huiusmodi finem. Dedimus, scilicet illis IVor simul, quatuordecim libras denariorum, medietatem Blesensium, aliam medietatem Cenomannensium, et reconciliavimus Odonem et Rainaldum Guidoni, comiti Vindocini, et Hamelino de Lengadiis qui malevolebant illis propter hanc calumniam, et ita dimiserunt simul omnes IVor, in capitulo nostro, totam illam calumniam. Et quicquid reclamabant apud Semitarium, clamaverunt solutum et quietum Sancto Martino et monachis eius, et postea pro hac ipsa re misimus eis in pactum, quod ubicumque aliquis ipsorum IVor morietur, in Turonico vel in Vindocinensi, si amici eius miserint nuntium mortis eius, huc ad Maius Monasterium mittetur illic monachus unus ad conducendum huc defunctum, ita tamen ut amici illius procurent portitores et expensas ad devehendum. Monachus enim nihil horum procurabit, sed solummodo ibit cum illis. Facta est concordia et hec convenientia in capitulo nostro, anno Domini abbatis Bartholomei VIII, VI kalendas Aprilis, et ibi affuerunt et hec omnia audierunt et viderunt et testes sunt: Guido, comes Vindocini, qui tali pacto dimisit eis suam malivolentiam si ipsi deinceps non exeant de hac concordia vel convenientia – Hamo de Valle – Fulco de Bœria – Burcardus cantor – Gaufridus Fulcradus – Joslinus homo Hamonis – Simon filius Frodonis de Vindocino – Guillelmus filius Ascelini vicarii – Boninus – Giraldus cocus – Josbertus cocus – Herveus cocus – Guillelmus de Anglica terra – Isembardus – Hubertus filius Hervei – Harduinsis et Galterius filii Racherii – Hilduinus sartor - Gauterius cellararius – Johannes hospitalarius – Martinus coquus Fulconis de Bero.